Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1241
Quelle:
Copyright:

tiam. Vnde. Audiam quid loquatur in me dominus deus. Atque ita singula Psalmorum sensa in tres, quatuor, quinas, quin et plures particulas pro aevi illius gustu secando proceditur usque ad *Psalmi* CXLIX. v. *ultimum* et sic concluditur: *Vt faciant in eis iu. con. Vnde Daniel. ver. Sedit iudicium. et libri aperti sunt. et iudicatum est secundum quod continetur in eis.* De Thoma *Novoniensi* vel fortasse *Novomensi* altum apud *Gesnerum*, *Oudinum*, *Fabricium*, *Egassium Bulaeum*, *Lelongium* silentium. Neque *Bibliothecarum Mss.* Editores, quorum praecipuos solerter consuluimus, quidquam mussant. Solus *Montefalconius pag.* 1256. *Sermones Thomae de Noyum* commemorat, qui nosterne sit, dicere non habemus, opus tamen ipsum ad Sec. XII. aut XIII. pertinere arbitramur. Codicis nostri *fol.* 1. capitali litera adscriptum est: *Sentencie de Augea;* id quod conjecturam facit, illum quondam in possessione cujusdam celeberrimorum Monasteriorum, quae *Augiae* nomen praeferunt, fuisse.

CCCXVI.

372 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 68. f. per duas columnas exaratus et rubricis distinctus est: *Summa super sententijs Magistri petri*, videlicet dicti *Lombardi*, cujus *Prologus* incipit: *Sicut desidiosi et pigri nimium lectoris est obscura et magnis sententiis grauida nolle exponere. ita quoque non studiosi sed superstitiosi est ea que plana sunt longis nimium et peregrinis expoſicionibus bonerare* &c. Expositio ipsa: *Nos cupientes mittere. i. addere aliquid expositionis in gazophilacium domini. i. in scripturis dei que dicuntur gazophilacium* &c. Finis L. IV. *mater que non comedit magis delectatur de ipsa re. i. de melle comesto a filio. quam filius delectetur in mel comedendo. Explicit summa sententiarum.* Accedit Index. Difficile est in tanto eorum numero, qui inde a Sec. XII. in *Petri Lombardi Sententias* commentati et commenti sunt, Autorem praesentis *Summae* digito monstrare, nisi Curiosorum quis in Exemplar incidat forte fortuna ejus nomine insignitum.

CCCXVII.

Codex chartaceus lat. Sec. 215
XV. Folior. 136. f. currente calamo scriptus, olim *Petri Lambecii* continet I. *Commentaria in IV. Libros Sententiarum Petri Lombardi*, hoc initio: *Quoniam in paucioribus via magis* (expedita?) *ideo scripta sententiarum communia studendo et legendo cogitaui fore congruum omnium questionum conclusiones cum breui declaratione in vnum breuiter et ordinate colligere* &c. Finis: *qui ad gaudia eos secum trahit eterna, ad que nos perducere dignetur* &c. Adjectum: *Expliciunt soluciones supra quatuor libros sententiarum in scolis prage collecte.*